

summi Pontifices magistri, Ossatus, Perronius et Richelius Cardinales, tacite reprobaverint synodorum suffragia et repetita aliquoties ad Regem publicæ declarationis postulata; certe vel disciplinæ ratio ostendit, locum hic esse privilegio aut dispensationi: vel legis Ecclesiasticæ notio probat, illius vim a rati habitione non pendere: vel observantiæ potestas declarat, acceptationem non scripto quidem, sed moribus satis esse contestatam.

## CONCILIA GENERALIA NON TAMEN ŒCUMENICA.

138. Concilia generalia quidem, sed non œcumenica, numeramus quatuor, scilicet: 1. *Sardicense*, 2. *Pisanum*, 3. *Constantiense*, 4. *Basileense*. Prius constat tum ipsa celebrationis notitia, tum consensu omnium; inter quos nonnulli sunt, qui illa œcumenicis annumerent. Posterior de I. liquet ex eo quod Constantinopolitanum ab Ecclesia utraque semper habitum sit pro secundo œcumenico; quod tamen foret tertium, si œcumenici prærogativam Sardicense obtineret. Cur autem illa denegetur, id ortum exinde volunt plures, quod ob eandem mentem et sententiam Sardicense confunderetur cum Nicæno, aut hujus appendix et complementum æstimaretur, præsertim cum fidei symbolum nullum condidisset: alii autem id cautum putant, ne errori præberetur auctoritatis noxiæ occasio; dum Eusebiani, secessione ab hoc Concilio facta, Philippopoli congregati, hæreficam fidei formulam sub Concilii Sardicensis nomine disseminabant. De II. ideo convenit quia vel non representabatur universa Ecclesia, duabus Pontificum obedientiis repugnantibus; vel deficiebat approbatio Pontificis, saltem indubii nec controversi, cum Conciliari actione auctum potius, quam sublatum fuerit schisma. De III. ita statuitur: quia sub extremis primis Sessionibus in œcumenicum coalescere poterat, a Pontifice approbatum fuit, solum quoad fidem et conciliariter acta; quoad aliquam etiam partem a Lateranensi posteriori est reprobatum. Demum de IV. constat quod ex Concilio primum legitimo degeneraverit postea in Conciliabulum, bis avocatum alio, sæpius etiam reprobatum.

## CONCILIIUM GENERALE SARDICENSE.

I. Implorato CONSTANTII et CONSTANTIS Imperatorum auxilio Synodum indixit JULIUS Pontifex, tum ut præter alios ATHANASII ab Arianis in Cone. Tyrio damnatum, a se postea communionem receptum, Conciliari etiam sententia vindicaret; tum ut disciplinam ab iisdem hæreticis labefactam restauraret. Præter 80 Eusebianos, maximam partem Asiaticos, ex triginta quinque Imperii provinciis confluxere Patres fere trecenti. Pontificis nomine præsidium tenebat OSIUS Ep. Cordubensis cum Archidamo et Philoxeno Presbyteris. Conventus celebrabatur *Sardicæ*, urbe Daciæ, in Illyrico, exorsus 22<sup>o</sup> Maii A. 347.

II. Initium faciunt querelæ quas contra Arianorum fraudes, vexationes et injurias dūce EUSEBIO perpetratas, detulere S. ATHANASII, MARCELLI Ancyranus et ASCLEPAS Gazensis cum plurimum Ecclesiarum deputatis, postulantes ut causæ ipsorum retractarentur, Eusebians ad rationem reddendam compulsi. Iudicii Ecclesiastici rectitudinem, quam Patres querulantibus addixerant, veriti Eusebians, retardare primo suum in urbem adventum; tum abstinere se suosque ab accessu ad Concilium cum reis a se damnatis communicans; demum negare passuros se retractari præcedentium Synodo-

rum iudicia: Sardicens contra propositis Imperio Pontificis, concessione Imperatorum, et iudiciorum usu, urgere illos, ad actionum suarum justitiam Concilio probandam. Quod cum isti desperabant fieri a se posse, causati gratulationem de reportata in Persas victoria Constanti faciendam, profugiunt noctu Philippopolim in Thracia, ibidem novas artes securius tentaturi. Frustrata igitur expectatione, ad res agendas acceditur. Et quidem contra factas interea Arianæ hæresis scissiones statuitur Nicænam formulam sufficere; nec aliam condendam, ne reformandorum symbolorum Arianus usus prætextum haberet. Dein audiuntur ATHANASII et ASCLEPÆ defensiones, cum testibus et documentis authenticis prolatis: examinatur MARCELLI liber pro criminis causa objectus: deteguntur variæ Eusebianorum artes. His perpensis, ATHANASII ab Arsenii cæde, contracti calicis sacrilegio, aliisque criminibus imputatus immunis ac innocens, cum quatuor Presbyteris Alexandrinis, declaratur: MARCELLI fides ex contextu libri et sententiis, quaerendo duntaxat propositis, non autem assertis, sana innoxiaque enuntiatur: ASCLEPAS de altaris eversione objecta, sed luculenter refutata, absolvitur. Iisdem suum in honorem restitutus, intrusi in illarum sedes usurpatores, Gregorius et Basilus, rescissis ordinationibus expelluntur; unaque Eusebianorum præcipui deponuntur. Canones demum ad Osm postulationem sanciantur, additis sub finem, præter illas ad Pontificem et Imperatores, litteris encyclicis, quibus universi orbis Episcopi ad subscribendum invitantur. Dolorem inde conceptum, ulturi Eusebians in Philippopolitano *Conciliabulo*, formulæ semiarianæ recens conditæ addunt anathemata in OSIUM et PROTOGENEM, quin in ipsum JULIUM Pontificem, sibi que Concilii Sardicensis nomen usurpant. Quæ gesta, cum suppressis veræ Sardicensis Synodi actis, Donatistæ in Africa spargèrent, factum est, ut S. AUGUSTINUS L. 3. contra Cresconium et alibi, non aliud, quam Sardicense Arianorum Concilium cognosceret.

III. CANONES editionis latinæ, utpote originariæ, Græcis unitæ superiores subjicimus. Eorum auctoritas semper maxima fuit; adeo ut sub Nicænorum nomine eos laudatos a Romana Ecclesia, communis sit opinio: de qua tamen Joannis Veci in Sess. 20. Concilii Florent. oratio notari meretur. Est autem hæc summa: 1. Episcopus commutans Episcopatum laica etiam communionem privetur. 2. Eidem poenæ subsit Episcopus a provincia ad provinciam transiens, non invitatus. 3. Inter Episcopos litigantes judicent Comprovinciales: damnato ad Romanum Episcopum appellante, illius sententiæ obtemperetur. 4. Appellantis sedem nullus usurpet ante Papæ sententiam. 5. Propriæ provinciæ Episcopo monito et renuente, vicini Episcopi novum Antistitem ordinent. 6. Non ordinetur Episcopus pro vico aut modica civitate. 7. Etiam Provincialis Synodi iudicium retractetur per vicarios Papæ, si huic ita videbitur. 8. et quatuor seqq. prohibetur Episcopis ne, nisi vocati aut invitati ab Imperatore, accedant ad comitatum, eorum loco deputatis Diaconis, et causis eundi designatis, cum cautela posita, ne hæc statuta facile violentur. 13. De Laicis non fiat temere, aut sine ordinum interstitiis Episcopus. 14. Ultra tres hebdomadas Episcopus ne absit a sua Ecclesia. 15. Qui justâ ex causa in aliena Ecclesia moratur, exceptis Dominicis, non sit in civitate alterius Episcopi. 16. Excommunicatus ab Episcopo suo communionem non accipiat ab altero. 17. Hujus tamen causam ab Episcopis finitimis tractari liceat. 18. Nulli Episcopo fas sit Clericum alienum sollicitare aut ordinare. 19. Ordi-

natio alieni Clerici, sine proprii Episcopi consensu facta, non sit rata: ordinans ejusmodi corrigatur. 20. Ne Clericus quicumque Thessalonice moretur ultra tres hebdomadas. 21. Persecutionem passus tamen alibi morari possit, dum opportunitas reditus adveniat.

## CONCILIIUM GENERALE PISANUM.

I. Schismatis tollendi causa hoc Concilium coaluit. Illius origo, altius est repetenda. Sedem Apostolicam A. 1305. transtulerat CLEMENS V. Avenionem, ibique tum ipse, tum ejus successores, septuaginta annorum spatio permansere, donec tandem GREGORIUS XI, etsi Gallus, Gallias tamen relinquens, Sedem Romæ restituit, inductus præcipue a Sanctis BRIGITTA et CATHARINA Senensi, quæ hanc esse Dei voluntatem revelatam sibi divinitus asserebant. Mortuo illo Romæ 26<sup>a</sup> Maii 1376, mox Cardinales sexdecim in Urbe tunc præsentibus conclave ingressi sunt, successorem electuri. Romanus populus metuens ne, electo forsitan a Cardinalibus maximam partem Gallis Pontifice Gallo, sedes Pontificia in Galliam rursus abiret, tumultu concitato clamat, Italum se velle, minitatus Conclavi ignem, Electoribus mortem, ni postulata fierent. Ea in conturbatione electus est BARTHOLOMÆUS Prignano, Archiepiscopus Barensis absens; qui ab Ecclesia acceptatus, et a Cardinalibus per plures menses ut verus Pontifex agnitus, assumpto URBANI VI. nomine, ubi Romam veniens severiorem se quam tempora ferebant Cardinalium reformatorem profiteretur; duodecim ex illis hoc rigore offensi Anagninam primo, tum Fundos secesserunt. Hic protestati de violentia sibi illata, ideoque electione URBANI VI. nulla, dicunt eidem diem ad jus suum tuendum: non comparentem, lata sententia declarant intrusum: tandem 10<sup>a</sup> Septembr. A. 1378. Robertum Gebennensem Cardinalem eligunt in summum Pontificem, CLEMENTEM VII. dictum, et cum sede Avenionem tractum. Ab hoc tempore schisma tristissimum, et armis etiam exasperatum, Ecclesiam in partes scidit; Pontificem Avenionensem Gallis, Neapolitanis et Hispanis; Romanum Italis, Germanis et Anglis sequentibus. Atque id per successores, URBANO quidem BONIFACIUM IX. INNOCENTIUM VI. et GREGORIUM XII. successores, CLEMENTI autem BENEDICTUM XIII. substitutum jam triginta annis propagatum tenuerat; cum utriusque obedientiæ Cardinales, nequicquam tentatis inter GREGORIUM et BENEDICTUM viis aliis, ad scissionem vel alterutrius abdicationem vel utriusque depositionem tollendam, indixerunt Concilium.

Conflatum id fuit ex 22 Cardinalibus, 4 Patriarchis, 12 Archiepiscopis et 44 eorum Procuratoribus, 80 Episcopis et 102 ipsorum vices gerentibus, 87 Abbatibus et 200 eorum loco substitutis, 4 Ordinum mendicantium Generalibus, 19 Ordinum Equestrium Officialibus vel Commendatoribus, 15 Academiarum deputatis, 200 missis Ecclesiarum præcipuarum, 300 et amplius Doctorum Theologiæ vel Canonum, 7 Regum et pluribus Principum ac Civitatum Legatis: Præsidentem habuit Cardinalem Pictaviensem, utriusque Collegii sacri Decanum: Celebratum est Pisis in Hetruria, inchoatum 25<sup>a</sup> Martii, absolutum 7<sup>a</sup> Augusti A. 1409.

II. Sess. 1<sup>a</sup>. 2<sup>a</sup>. et 3<sup>a</sup>. Sedendi ordine stabilito, legibus Conciliaris disciplinæ prælectis, Officialibus constitutis, et convocationis litteris recitatis, *Petrus de Luna et Angelus Corriarius*, ille BENEDICTUS XIII. hic GREGORIUS XII. compellati, trina citatione evocantur: nec in postrema sessione comparentes,

decernuntur et declarantur in causa schismatis et fidei contumaces, contra quos ad ulteriora sit procedendum. 4<sup>a</sup>. ROBERTI Imperatoris Legati, ad partes GREGORIUM propugnandas missi, ubi auditi fuerunt in Concilio, protestatione contra illud publicata, insalutatis Patribus discedunt. 5<sup>a</sup>. Gemini Pontifices accusantur rursus de contumacia: proferuntur contra eosdem articuli triginta septem, schismatis et accusationis capita complectentes. 6<sup>a</sup>. Proponitur subtractionem generalem esse faciendam. 7<sup>a</sup>. Refutantur factæ a Legatis Imperatoris protestationis omnia ex ordine capita. 8<sup>a</sup>. Agitur rursus de obedientia utriusque Pontifici subtrahenda: declaratur unio Cardinalium et convocatio Concilii rite facta. 9<sup>a</sup>. Renuntiatur Pontificibus, et obedientia subtrahitur decreto promulgato. 10<sup>a</sup>. 11<sup>a</sup>. 12<sup>a</sup>. Iidem citantur ad testes audiendos: hi audiuntur, et veridici comprobantur. 13<sup>a</sup>. BENEDICTUS arguitur schismatis et hæresis. 14<sup>a</sup>. Declaratur Concilium representare universam Ecclesiam, habereque jus cognoscendi causam præsentem. 15<sup>a</sup>. Pronuntiatur sententia definiens GREGORIUM et BENEDICTUM excidisse Pontificatu separatosque esse ab Ecclesia ipso facto; inhibens ne quis eorum pro Papa se gerat; declarans Ecclesiam Romanam vacare, et Christianos omnes ab illorum obedientia absolutos esse. 16<sup>a</sup>. Cardinales Deo, Ecclesiæ Romanæ, ac Synodo promittunt quod, si quis in Pontificem summum foret eligendus, continuaturus sit præsens Concilium, donec facta sit reformatio Ecclesiæ in capite et membris. 17<sup>a</sup>. 18<sup>a</sup>. 19<sup>a</sup>. Cardinales utriusque olim obedientiæ, electionem hæc vice, et sine præjudicio, sub protectione Concilii auspiciantur: post decem dies concordibus suffragiis Pontificem nominant *Petrum Philargi* Mediolanensem Archiepiscopum, Professione Minoritam, Patria Cretensem: eumque ALEXANDRI V. nomine assumpto, Concilii jam Præsidentem, lecto Electionis decreto, solemniter coronant. 20<sup>a</sup>. et 21<sup>a</sup>. Decretis editis confirmantur tum dispensationes ad matrimonium et pœnitentiarum spectantes, tum collationes, provisiones, translationes beneficiorum, et ordinationes a geminis olim Pontificibus factæ, exceptis iis quæ in præjudicium unionis fuerant tentatæ. 22<sup>a</sup>. Præcipiuntur Concilia Provincialia ab Episcopis, Capitula generalia a Regularibus sub Pontificiis præsidibus habenda: Confirmantur acta Cardinalium ad schisma tollendum: reformatio Ecclesiæ in capite et membris suspenditur usque ad Concilium proximum, triennio post celebrandum, ob plurium jam Prælatorum discessum: dimittitur Concilium, plenariis indulgentiis concessis pro iis qui Concilio huic interfuerint, vel adhaeserint.

## CONCILIIUM GENERALE CONSTANTIENSE.

I. Schisma penitus extinguendum, reformatio Ecclesiæ tandem facienda, et fides confirmanda adversus translatos ex Anglia in Bohemiam errores, tres erant causæ Synodi cogendæ. Cum enim Pisani Concilii sententiæ non acquiescerent BENEDICTUS XIII. et GREGORIUS XII. illeque Aragoniam, Castellam et Scotiam, hic vero Siciliam cum Italiæ portione aliqua sequacem traheret; præterea Alexandro V. die 4 Maii A. 1410. fatis defuncto *Balthasar Cossa* Neapolitanus, sub JOANNIS XXIII. appellatione, sufficeretur: aucto Pontificum numero schisma etiam increvit. Hoc ipsum vero reformationem Ecclesiæ tanto minus permittebat, quanto plura et inter se discrepantia reformatorum capita erant; quibus repugnare pro lubitu et parte suscepta licebat. Sicut autem sub schismatis exordia et URBANI VI. tempora hæresis in Anglia

initium sumpserat; sic in scissionis progressu et tripartito Ecclesiae statu eadem in Bohemia invaluit. De illius auctoribus, scilicet *Joanne Wicleff* et *Joanne Huss*, nec non postremi adjutoribus *Hieronimo Pragensi*, *Petro Dresdensi* et *Jacobello Misnensi*, dictum est alibi: errores eorum universim prosequi non vacat, sed damnatos duntaxat in hoc Concilio, eosque non ex ordinis serie, sed pro materiæ delectu juvat recensere.

*Wicleff* quidem errores erant: omnia ex necessitate absoluta fieri: Deum obedire debere diabolo: Ecclesiam Romanam esse Synagogam Satanae: non esse de necessitate salutis credendum, illam esse supremam inter alias Ecclesias: Papam non esse proximum et immediatum Vicarium Christi; Ejus electionem a Cardinalibus esse introductam a diabolo: Post **URBANUM VI.** non esse aliquem recipiendum in Papam, sed more Græcorum legibus propriis vivendum: si Papa sit mere præscitus, eum non habere potestatem in fideles ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare. Decretales epistolae esse exsufflandae: Nullum esse Dominum civilem, aut Prælatum, vel Episcopum, dum est in peccato mortali: Populares posse suum ad arbitrium corrigere dominos delinquentes: Parochianos ad libitum suum posse propter Prælatorum peccata auferre decimas: Sylvestrum Papam et Constantinum Imperatorem errasse dotando Ecclesiam: Dominos seculares a diabolo esse seductos, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus: Ditare Clerum esse contra regulam Christi: Contra Scripturam esse, quod Ecclesiastici habeant possessiones: Clericos qui possessiones habent, et Laicos illis consentientes, omnes esse hæreticos: Religiosos, in privatis religionibus viventes, non esse de religione Christiana: Sanctos instituendo religiones privatas peccavisse: Augustinum, Benedictum, Bernardum esse damnatos, nisi poeniterint, quod habuerint possessiones, et religiones intraverint ac instituerint; et sic omnes Religiosos esse hæreticos: Peccare fundantes claustra, et ingredientiæ esse viros diabolicos: Omnes religiones introductas esse a diabolo: Omnes de Mendicantium ordine esse hæreticos, et dantes eis eleemosynam esse excommunicatos: Episcopum aut Sacerdotem, si in peccato mortali sit, nec ordinare, nec consecrare, nec conficere, nec baptizare: Substantiam panis materialis et substantiam vini materialis remanere in Sacramento Altaris: Accidentia panis non remanere sine subjecto in eodem Sacramento; Christum in hoc Sacramento non esse identice ac realiter in propria præsentia corporali: Non esse fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinarit: Confessionem exteriorem esse superfluum et inutilem, si homo fuerit debite contritus: Fatuum esse, credere indulgentiis Papæ et Episcoporum: Excommunicationem esse censuram Antichristi: Illicita esse juramenta, quæ fiunt ad firmandos contractus: Universitates, studia, gradus et magisteria tantum prodesse quantum diabolus.

*Hussi* errores præcipui: Condemnationem articulorum *Wicleffianorum* a Doctoribus factam esse irrationabilem et iniquam: Duas naturas, divinam et humanam, esse unum Christum: Ecclesiam constare ex solis prædestinatis: Præscitos nunquam esse partem Ecclesiae: Paulum nunquam fuisse membrum diaboli: Nec scintillam esse apparentiæ, quod oporteat esse unum visibile caput Ecclesiae: Petrum non fuisse ejusmodi caput: Papæ dignitatem esse a Cæsare: Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiae universalis; imo nequidem particularis Romanæ, saltem si malus sit aut reprobatus;

neque tunc esse verum successorem Petri: Papam malum et præscitum esse diabolum, nec membrum Ecclesiae: Eundem non debere vel ratione officii dici sanctissimum; alioqui et diabolum, utpote officiarium Dei, dicendum sanctum: Cardinales, nisi more Apostolorum et sancte vixerint, non esse veros Apostolorum Christi successorès: Obedientiam Ecclesiasticam esse inventum Sacerdotum: Licitum esse Sacerdoti cuivis prædicare, non obstante quacumque prohibitione. Tradentes Clericum seculari potestati esse similes Pharisæis tradentibus Christum Pilato: Nullum esse Dominum, Prælatum aut Episcopum, dum est in peccato mortali: Vitiosum omnia agere vitiose; virtuosum omnia virtuose.

Triplex memorata causa sollicitum maxime habuit **SIGISMUNDUM** imperatorem, Bohemiam et Hungariæ Regem, qui **JOANNEM** Pontificem non tantum permovit ad indicendum generale Concilium, sed et præter litteras ac legatos in omnem partem missos, ipse Galliam, Hispaniam et Angliam percurrit, ut unitatem Ecclesiae et effectum Concilio compararet. Convenerant ad illud Patres fere mille, ex quibus præter Patriarchas quatuor et Cardinales plures numerabantur Episcopi trecenti. Sessionibus duabus prioribus **JOANNES XXIII.** quatuor postremis **MARTINUS V.** Pontifices: intermediis, scilicet 3<sup>æ</sup> Petrus de **Alliaco**, 4<sup>æ</sup> **Jordanus de Ursinis**, reliquis **Joannes Vivariensis**, Cardinales præfuerunt. Habitum est Constantiæ in Germania prope Helvetos: initio dato 16 novembris A. 1414. fine imposito 22 Aprilis A. 1418.

II. *Sessio 1<sup>a</sup>.* Post initialem **JOANNIS XXIII.** orationem, et Bullam Convocationis recitatam, nominantur Concilii officiales, et ex Synodi Toletanæ præscripto actionum gravitas Patribus commendatur. Tempore hanc inter et sequentem sessionem intercedente, *Joannes Huss*, fide quidem publica, non tamen contra legitimum Concilii judicium munitus, custodiae traditur, facto ejus cause initio: decernitur negotiorum tractatio per quatuor Nationes, Italiam scilicet, Gallicam, Germanam et Anglicam; cui postmodum accessit quinta Hispanica, ea forma ut in congregationibus primum singulæ starent, dein omnes collectæ convenirent, demum in sessione publica omnibus placita sancirent: **JOANNES** ob personales defectus de Pontificatu abdicando interpellatus, id se facturum, obscurius tamen et vacillando addidit.

*Sess. 2<sup>a</sup>.* Idem jam apertius et cum juramento promittit, si tamen **GREGORIUS** et **BENEDICTUS** cessuri sint, et abdicatione hac extinguendum schisma videatur; pro quo promisso Imperator, pedes **JOANNIS** deosculatus, solennes gratias egit. Verum in privatis congregationibus de novo Ecclesiae capite eligendo agi intelligens **JOANNES**, mutatis vestibus, clam elabitur Constantia **Schaffhusam**: quæ fuga agitandis de auctoritate Concilii congregationibus occasionem dedit.

*Sess. 3<sup>a</sup>.* Promulgatur Conciliare decretum, quo statuitur Synodum hanc rite convocatam et legitime inchoatam, per Papæ discessum nec dissolutam, nec ab eodem dissolvi posse aut transferri ante extinctionem schismatis et reformationem Ecclesiae; nec licitum prælatis discedere a synodo, sine justa causa a deputatis Nationum examinanda; translationes Prælatorum, privationes beneficiorum, et alia ejusmodi post discessum **JOANNIS** facta, nullius esse valoris.

*Sess. 4<sup>a</sup>.* Editio decreto declaratur Concilium generale immediate a Christo habere potestatem, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur in his quæ pertinent ad fidem et

extirpationem schismatis et ad generalem Ecclesiae Dei reformationem in capite et membris : leguntur litterae , quæ aeris intemperiem causatus , suum discessum JOANNES excusat, seque promissis statutum significat.

Sess. 5<sup>a</sup>. Decretum prioris Sessionis relegitur et confirmatur : declaratur fuga illegitima, obligatio standi promissis et cedendi Pontificatu.

Sess. 6<sup>a</sup>. Approbatur formula Procuratoria super renuntiatione Papatus a JOANNE faciendâ, et ad ipsum honorificâ legatio reditum suasura decernitur.

Sess. 7<sup>a</sup>. Illo Schaffhusa Lauffenburgum, inde Friburgum, dein Brisacum, tandem Neoburgum fugiente, publicatur ad novem dies citatio ad refutandam hæresin, schisma, simoniam et alia crimina sibi objecta : probatur item *Hieronimi Pragensis* citati et non comparentis contumacia, qui intellecta *Hussi* captivitate, et promissa per schedam publice affixam *Wicleffi Hussi* que defensione, aufugerat.

Sess. 8<sup>a</sup>. Damnatur *Joannis Wicleffi* doctrina et memoria : 45 articuli seu propositiones recitatae censurantur in globo; damnatio 260 articulorum ab Universitate Oxoniensi facta rata habetur; libri omnes et tractatus adducuntur igni; ossa exhumata comburi jubentur.

Sess. 9<sup>a</sup>. Friburgi interea detentus JOANNES XXIII. citatur ad personaliter comparendum. 10<sup>a</sup>. Non comparens post iteratam citationem, per auditos testes convictus de pluribus criminibus, lata sententia suspenditur ab omni administratione Ecclesiastica. 11<sup>a</sup>. Cellam Constantia haud dissitam perductus, nec objectis refragatus, iudicio Concilii se submittit : 12<sup>a</sup>. Pronuntiata in se depositionis sententiæ acquiescit; traditus dein Electori Palatino custodiendus : decernitur nullum e tribus Pontificibus dubiis in Papam eligendum.

Sess. 13<sup>a</sup>. Contra doctrinam et usum *Petri Dresdensis* et *Jacobelli Misnensis* decernitur; sententiam, quæ communionem sub utraque specie omnibus esse necessariam docet, erroneam esse ac hæreticam : sub excommunicatione prohibetur sacerdotibus communionem sub utraque specie populo distribuere : declaratur, consuetudinem distribuendi sub una tantum specie panis Eucharistiam non fuisse quidem semper in Ecclesia usitatam ; ad evitanda tamen multa scandala et pericula rationabiliter introductam.

Sess. 14<sup>a</sup>. Acceptatur abdicatio Papatus, nomine GREGORII XII. per Carolum Malatestam facta : admittuntur et uniuntur tum hujus tum JOANNIS olim Pontificis Cardinales : vetantur tamen electionem novi Pontificis moliri citra consensum Concilii : BENEDICTUS XIII. monetur idem facere.

Sess. 15<sup>a</sup>. Examine diurno absoluto, productus in Concilium *Joannes Huss* accusatur et convincitur de hæresi : 30 articulis condemnatis et libris igni addictis, ipse pertinax degradatus relinquitur seculari iudicio, nolensque respicere comburitur.

Sess. 16<sup>a</sup>. Constituuntur Procuratores acturi cum BENEDICTO de Pontificatu cedendo. 17<sup>a</sup>. Precibus commendatur SIGISMUNDUS Imperator eadem de causa in Aragoniam profecturus. 18<sup>a</sup>. Deputantur ad discutiendas varias causas ad Concilium pertinentes, reservata Concilio sententiâ definitiva.

Sess. 19<sup>a</sup>. E sua in Bohemiam fuga retractus *Hieronimus Pragensis*, accusatus in Concilio et convictus de hæresi, eam ejurat fidei professione edita : declaratur non obligari Patres, per fidem publicam hæreticis a seculari potestate datam, eos in hæresi contumaces non punire, cum hoc ad secularem

jurisdictionem non spectet; Concilium autem in data a se fide addiderat : *salva justitia et quantum fides orthodoxa exigit*. 20<sup>a</sup>. Datur monitorium ad Archiducem Austriae de causa cum Episcopo Tridentino : approbantur capita cum Hispanis pro extirpatione schismatis acta. 21<sup>a</sup>. *Hieronimus Pragensis* in ejuratam hæresin relapsus eadem qua *Jo. Huss* sententia ac poena afficitur.

Sess. 22<sup>a</sup>. et seqq. usque ad 38<sup>am</sup>. Introducuntur in Concilium Comes Fuxensis et Legati Regum Aragoniæ, Navarræ et Castellæ, qui Nationem quintam seu Hispanicam faciunt : proceditur interea in causa Austriaci ac Tridentini : magna solemnitate excipitur Sigismundus rex : BENEDICTUS XIII. seu Petrus de Luna citatur; declaratur contumax : indultis novis dilationibus, auditis relationibus, et deliberationibus præmissis, citatur ad sententiam audiendam; demum sententiâ lata a Papatu deponitur; fideles ab ejus obedientia solvuntur; et quos ille excommunicaverat, absoluti, vel potius absolute haud indigentes declarantur.

Sess. 39<sup>a</sup>. Ad schismata deinceps vitanda, statuitur ut post quinquennium rursus celebretur Concilium generale; septennio post, alterum; ac deinceps singulis decenniis sequentibus : Formula professionis fidei a Pontifice electo edenda describitur : de translatione Episcoporum et reservationibus Pontificiis ordinatur. 40<sup>a</sup>. Designantur 48 capita, circa quæ Pontifex proxime eligendus, cum Concilio vel deputandis per Nationes, debeat reformare Ecclesiam ante Synodi dissolutionem. 41<sup>a</sup>. Post lectam constitutionem CLEMENTIS VI, circa electionem Papæ, et pactum sine præjudicio hac tantum vice observandum, præter Cardinales 20 præsentis, electi sex e singulis Nationibus, adeoque 30 Electores ultra Ordinarios ingressi conclave, tertio post die, nempe 11 Novembris A. 1417. eligunt in Pontificem Othonem Columnam, dictum MARTINUM V, decemque post dies coronant.

Sess. 42<sup>a</sup>. MARTINO V. jam præside, liberantur Imperator et Palatinus ab onere custodiendi *Cossam*, quem Pontifex ad se adduci jubet. 43<sup>a</sup>. Promulgantur quædam reformationis decreta; per quæ et alia cum Nationibus concordata, uti per posita in Cancellariæ regulis, satis esse factum articulis, de reformatione faciendâ nuper promulgatis, declarat Concilium. 44<sup>a</sup>. Pro futuro post quinquennium celebrando Concilio designatur Papiæ urbs Italiæ a Pontifice. 45<sup>a</sup>. Post omnia Concilii decreta, in materia fidei conciliariter facta, a MARTINO confirmata, solutum est Concilium, cuilibet qui interfuerat data semel in vita et demum in morte plenaria indulgentia, concessaque abeundi licentia.

Reddita est hoc Concilio pax et unitas Ecclesiae. Nam GREGORIUS XII. quidem constitutus ab ipso Concilio perpetuus Legatus in Marchia Anconitana ante Synodi finem obiit : JOANNES XXIII. e custodia elapsus confugiensque Florentiam ad Martinum, ab hoc clementissime exceptus, permessa sibi Cardinalis dignitate, concessoque Episcopatu Tusculano cum sacri Collegii Decanatu, post semestre vivere desiit : BENEDICTUS XIII. autem quantumvis septem adhuc post Concilium annis superstes Pontificia Insignia pertinax retinuerit, duoque illi adherentes Cardinales successorem sub CLEMENTIS VIII. nomine elegerint; ille tamen a plerisque omnibus desertus non potuit, hic vero post aliquot ab electione annos, sponte se Martino subjiciens, noluit continuare schisma per 50 annos protractum. Poloni alia ex causa, quod nempe Pontifex libellum quemdam Joannis Falkenbergii suo Principi suisque injurio-